

LIBRI QVARTI
TITVLVS PRIMVS,

De Miraculis.

S V M M A R I V M .

- 1 *Homini à Natura insita quedam propensio ad Religionem est.*
- 2 *Christianæ Religio in nullare patitur fideles suos decipi.*
- 3 *Neminem pro sancto venerari licet absque Ecclesiæ auctoritate.*
- 4 *Nulli licet nova miracula publicare.*
- 5 *Mali etiam homines, & ipsi Demones miracula interdum faciunt. Declaratur num. seq.*
- 7 *Miracula facere est gratia gratis data, quæcum peccatoflare potest.*
- 8 *Covetum per Malos, aut Demones aliquando Deus miracula operatur.*
- 9 *Idiota pro miraculis existimant ea, que de raro eveniant.*
- 10 *Non est semper ac statim miraculum credendum.*
- 11 *Ad alienjs Canonizationem duo maxime requiruntur.*
- 12 *Miracula in persona canonizanda debent etiam post mortem facta probari.*
- 13 *Miracula post mortem malè non faciunt, sed sibi sancti.*
- 14 *Absque miraculis in vita factis potest quis canonizari, non autem ab alijs miraculi factis post mortem.*
- 15 *Naturalis effectus quid.*
- 16 *Miraculum quid. & num. seq.*
- 18 *Miraculum unde dicatur.*
- 19 *Non quicquid divina virtute sit, miraculum est.*
- 20 *Multa miracula non videntur ultra Naturæ potentiam seū extenderere.*
- 21 *Miraculorum aliud simpliciter tale, aliud secundum quid.*
- 22 *Quid sit miraculum simpliciter, quid item miraculum secundum quid. & num. seq.*

Quid sit Miraculum.

Q V E S T I O I .

- M**etam argumentum hoc de Miraculis à Legali materia tantisper recedere videatur, ita ut quasi per vim inter has questiones Medico-Legales dictas intrifusum videri posset, tamen qui non magis civiles materias, quam Canonicas pertractare decrevi, cum hæc ablique dubio ad canonicas pertinet, potest non immerito inter cæteras connumerari, quæ nostri operis intentum perficere videntur.
- 1 *Quoniam ergo homini insita quedam propensio ad Religionem à Natura est, ut elicetur ex D. Thoma 2. 2. quest. 8r. art. 2. ad 3. Medic. de mirab. oper. Dei lib. 1. quest. 2r. ita ut ipsemet humanus animus à nullo eductus superiore quamdam causam agnoscat, à qua & proprium suum ipsius esse,*
- & vitam, & quodcumque boni habet, emanet, & ea de re hanc esse unice colendam, ac summo honore prosequendam vel nullo admonente, aut innuente, sed sola naturali quadam pietate eruditus existimat, hinc sit, quod ubi qualisunque Religio tanquam falsa quedam Magistra, arcana, quæ non novit, detegens accedit, facilissime quæcumque illa dicit, et iam ab omni veritate aliena, pro veris acceptat, sumnumque nefas assumat ab illis vel latum ungues recedere. Quam detestanda autem ea credulitas, quæ ex falsa Religione viger, existat, ipsa luce meridianæ clarissima est. Verumenimvero Christianæ Religioni unica veritatis magistra, quemadmodum omnina ab ipsomet Veritatis Verbo emanantia fideles suos edocet, sic non patitur illos in iis, in quibus hominum errare facile est, ullo modo decipi. cum igitur contingat interdum quedam opera vel Demonis virtute, vel Naturæ etiam vi, immo & supernaturalis causæ auxilio, & consensu à quibusdam fieri, quæ aut vere miracula sunt, aut talia nobis videntur, ob quorum operum evidentiam illi minime sibi debitum sanctitatem, ac Servorum Dei nomen ultrix, unde ceteri illos ut tales debito honore venerantur, idcirco sancta Mater Ecclesia 3 neque aliquem sine ejus auctoritate pro sancto venerari nos jubet, etiam si opera miraculosa faceret, cap. Audivimus de Observat. Iesu, Barbol. de offic. & potest. Episc. allegat. 97. par. 3. num. 1. neque aliqui licere volunt nova miracula publicare. Ricc. in 4 prax. Episc. resp. 485. num. 1. Roderic. Quæst. Canon. & Reg. quest. 32. art. 15. tom. 3. Rocca de Canoniz. Sanct. cap. 9. sed ad ipsam utrumque omnino decernere volunt. Et ratio prioris est, quia etiam mali homines, & ipsi Demones miracula faciunt, Faver illud Marth. cap. 7. Nonne in nominis tuo multas virtutes fecimus? Glof. in cap. Venerabilis de Teſib. & ibi Abb. & Felin. in princ. ead. Glof. in cap. Audivimus de Kelg. & Vener. Savet. D. Thom. 2. 2. quest. 178. art. 2. Troyl. Malvit. de Canoniz. Sanct. dub. 3. num. 3. Maſcard. de Probat. concil. 262. num. 60. volum. 1. Medic. de mirab. operib. Dei lib. 1. quest. 18. & ex nostris T. om. Eraft. in disput. contra Paracelſ. par. 1. quod quidem non ita fulm accipendum, quod mali homines, ac 6 Demones faciant opera, quæ miraculosa videntur, cum ramen talia non sint; sed quod etiam vera miracula operentur, non tamen ullus eorum ex le, sed ipsa divina virtute, ita Deo volente. Rocca de Canoniz. Sanct. cap. 10. quia miracula facere est gratia gratis data. D. Thom. 2. 2. quest. 178. art. 1. quæ 7 gratia cum peccato flare potest. Medic. ubi supra quest. 21. & adducti per Roccam ibidem. quare & Balaam, & Saul, & Sibylla, & Caiphas propheta- tarunt, & alii non boni alia miracula fecerunt, immo hæc gratia, ut aliqui putant, transi aliquando de generatione in generationem per totum genus descendentium. Malvit. de Canoniz. Sanct. citato dub. 3. num. 34. & vide multa hujusmodi exempla apud Henric. Kornman. de mirac. vivor. tit. de heret. ij. R 3 diuers.

dicitur quod virtus. Quæ vero causa sit, ob quam Deus 8 per malos homines, & per ipsos quoque Dæmones miracula operetur, ad nos non pertinet scire: dicunt tamen Theologi & Canonizatæ, id triplici ex causa posse contingere, ex magnitudine nemei fidei, quæ sine Charitate operatur, ex virtute sanctissimi nominis Iesu invocati, & ob confusionem, & iustiori condemnationem facientes miracula. Rota in Relat. super processu B. Andrea Corsini par. 2. ver. Amplius queritur. Et vide quæ ad hanc rem adducit Iacob. Biderman. in Agnistic. lib. 3. cap. 4. Ratio posterioris est, quia multi homini, idcirco præteritum & illiterati, miraculi vice pleraque acceptant, quæ de raro eveniunt, ut in Auth. de Confus. ver. fin. coll. 3. Tiraquel, de leg. Connub. Glos. 1. 10 par. 6. num. 22. Biderman. ubi supra lib. 1. cap. 6. unde ob tale non rectum miraculorum judicium admonemur, quod non sit à nobis semper, ac statim miraculis credendum. Caballus Resp. crimin. cas. 2. 57. num. 2. decipiunt enim multi a falsis quibusdam miraculis, unde est illud Hierem. cap. 23. ver. 32. Et seduxerunt populum meum in mendacis luis, & in miraculis suis.

Summa ergo cum ratione judicium de veritate, & falsitate miraculorum sibi referat Ecclesia, una cum judicio de aliquid hominis sanctitate, ob quam dignus veneratione apud cæteros homines, tanquam verus Dei servus & amicus, existimandus sit. 11 Ad quod maxime duo requirit, vite nimis innocentiam, & miraculorum evidentiā, ut Canonizatæ refluantur in cap. 1. de relig. & Vener. Santi. & in cap. Venerabilis de Tisib. Caffan. in Catal. Glos. mund. par. 3. confid. 49. Malcard. de Probat. conclus. 2. 62. num. 1. par. 1. Medic. ubi supra lib. 1. quæst. 22. Verumtamen Ecclesia ad probandum aliquid viri sanctitatem per miraculorum testimoniū, non modo vult probari, ea in vita celebrata fuisse, sed etiam post mortem facta desiderat: & ratio est, quia, ut dictum est, etiam mali miracula operantur viventes, sed post mortem non nisi Dei amici, ipsi nempe sancti, ut dictum est à Rota in Relatione super Canoniz. B. Andrea Corsini par. 2. ver. Rursum dispositi sunt. Quamobrem miracula in vita facta non sunt necessaria probanda, sed suffici, tantum constare de factis post mortem. Rota in relatione de Mirac. B. Terezi, in proemo, ver. Et quoniam. Et multo majoris momenti ob eam rem existimantur miracula post mortem, quam in vita facta, ita ut abesse miraculū in vita factis possit quia canonizari, non autem absque miraculū factis post mortem, eadem Rota in dicta relatione super Canoniz. B. And. Corsini, ver. Qua occasione. ubi cam opinionem tanquam veriorem sequitur, contraria re tellens, quod etiam repetit in eadem relatione par. 4. 9. 1. ver. tertium generale argumentum. In nonnullis ergo miraculis examinandis sacra Rota Romana, ut plenam & indubitatem veritatem affequatur, Medicos interdum accersi jubet, eorumque sententiam exposcit, ut ipsam tattatur in eadem relatione B. Andrea Corsini par. 2. ver. ulterius per S. Thomam. Nos enim, qui Natura operibus indecensiter infestimus, facile ea quæ ab ejus operibus deciscimus, ejusque operandi potentiam exuperant, cognoscere possumus: jure merito igitur de hoc argumento agendum jam mihi propolui; circa quod videndum primo, quidnam sit miraculum, quod tamen multo clarius evaderet, si ante Naturalem effectum cognoscamus, quem sic definire licet quatenus ad hoc

argumentum pertinere videtur: Naturalis effectus est Natura opus, per suas causas consueto modo & ordine causandi productum, ex qua definitione facile elicetur, quid sit miraculum, quod tamē multi diversimodo definiverunt. Alii dixerunt, Miraculum est id, cuius effectus manifestus quidem est, causa vero incognita. Bart. in tral. de Testib. nn. 57. Troyl. Malvit. ubi supra dub. 3. num. 36. Malcard. de Probat. conclus. 1. 60. num. 1. vol. 2. nam idcirco admirationem affecti miraculum, & ab hoc sic dictum est, quia ejus causa ignota est, tamē hæc definitio non comprehendit veram miraculū naturam, nisi dicas, illud, causa vero incognita, ita intelligi, ut natura liter ejus causa cognosci non possit; eo quod in naturalium causarum sensu non comprehendatur, alias enim multi effectus in rerum Natura apparent evidentes, quorum causæ incognitæ sunt, & tamē miracula non sunt. Alii maluerunt dicī, Miraculum esse aliquid arduum & insolutum, prater Natura facultatem, & spem admirantis provenientem. ex S. Thom. par. 1. quæst. 105. art. 7. in princ. Medic. ubi alias quæst. 8. lib. 1. cui non dissimilem definitiōnem ex eodem S. Thom. & alias affecti Rocca 17 ubi supra cap. 10. Dicunt alii, Miraculum simpliciter effectus, præter & extra Natura ordinem productus. Martin. Delr. lib. 2. disquisit. Magic. quæst. 7. quibus definitionibus non abstimili fuerit, quæ sequitur: Miraculum effectus est rarus, arduus, & admirabilis, prater Natura ordinem ex primæ causæ virtute productus. esse enim miraculum effectum rarum & admirabilem, patet ex ipsa nomenclatura, cum miraculum dicatur quasi admiratio plenum. Archidiac. in cap. Nec mirum. num. 6. 26. quæst. 5. Medic. ubi proxime, Rocca ibid. cap. 19. & ex nostris Card. lib. 2. 6. de varie. cap. 81. unde fit, quod opera quadam mira, ardua, & eventu rara miraculi vice habeantur. Tiraquel. de leg. Connub. Glos. 1. par. 6. num. 22. quod vero sit opus arduum, illud manifestum facit, quod ipsius Natura super omnia dominans potentiam tantopere exuperet, quod tandem Dei virtute fiat, conflat ex eo, quod neque illum homo per se, neque Deamones 19 ipsi miracula facere possint. Grill. de Sortileg. quæst. 7. num. 15. Medic. de Mirab. operib. Dei. quæst. 19. Martin. Delr. disquisit. Magic. lib. 2. quæst. 7. immo neque ipsi sancti, neque ipsi plenitudo Angeli ex se, idem Medic. ibidem quæst. 16. sola ergo primæ causæ, & divina virtute sunt, unde illud in sacris Psal. Qui facit miracula solus. Gundis. de Heret. quæst. 21. num. 6. Malvit. ubi supra dub. 3. num. 36. Nota tamen quod non protinus ob prædicta, quicquid supernaturaliter & divina virtute fit, censendum est, esse miraculum, sed id, quod fit modo infuso. Sotus 4. sent. disp. 34. quæst. unica. art. 3. col. 6. ver. unum autem relatus per Sanchez. de Marm. lib. 7. disp. 39. nn. 8. Barbos. Coll. doct. lib. 4. tit. 15. cap. 5. num. 5. tom. 2.

Quoniam autem multa miracula non videntur ultra Natura potentiam sese extendere, ut infirmorum sanationes, longa jejunitia, ultra tempus quod mortalis conditio ferre potest, tolerata, Prophetia, & Ecclæsis secundum aliquos, & alia hujusmodi, idcirco dubitandi occasionem offerre nobis possent verba illa in definitionibus Miraculū apposita, quod nempe sit effectus vires nature exuperans, cui dubitatione facilissime fatisfit, si dicatur, quod etiam non semper miraculum exuperet Natura vires simpliciter, semper tamen exuperet respective ad aliqd,

quid, vel secundum quid, non enim exuperat Naturæ vires, hominem à morbo aliquo, ut à febre ardentib[us] liberari, sed exuperat Natura vires, hominem abisque illo evidenti medio, & in instanti, solo Christi Domini iusta, vel ejus nomine invocato, à febre immunem evadere. haec eadem ratione non exuperat Naturæ vires, hominem quadraginta diebus a cibo & potu abstinent, sed exuperat ejus vires, hominem totidem diebus jejunare, qui à Natura non habebat eam aptitudinem, ut tam diutino tempore posset abesse nutrimento permanere, super ergo Naturæ vires non secundum totum effectum, sed secundum modum. Biderman. in Agnistic. lib. 1. cap. 14. Iuxta prædicta ergo duplex erit miraculum, ut docet Martin. Delr. lib. 2. disquisit. Magic. quæst. 7. aliud enim est miraculum simpliciter, alterum secundum quid. Illud effectus est, præter & extra Natura creatæ vires simpliciter productus, hoc autem effectus, viribus Natura respondens, sed ejus vires exuperans respectu alij causarum conditionis, aut modi operandi, cum qua conditione, aut quo modo Natura talēm effectum producere non erat apta, vel dicamus, quod miraculum simpliciter effectus sit omnino supernaturalis, miraculum autem secundum quid, effectus quidam naturalis, non tamē ex disponiture, aut actione causarum Naturalium emanans, sed ex sola & absoluta Dei virtute, quæ omnia luculentius infra explicabimus, & variis exemplis illustrabimus.

S V M M A R I V M.

- 1 Miraculum tripliciter divisum.
- 2 Miraculum contra Naturam quid.
- 3 Miraculum supra Naturam quid.
- 4 Miraculum præter Naturam quid.
- 5 Miraculum præter Naturam tripliciter divisum.
- 6 Miraculum præter Naturam ob excessum.
- 7 Miraculum respectu obedientia ipsius Naturæ ad divinum Verbum.
- 8 Miraculum præter Naturam quando quid gemratim fit.
- 9 Omne miraculum vel simpliciter, vel secundum quid supra Naturæ vires est.
- 10 Miraculum in quatuor classes divisum.
- 11 Miracula prime classis plures multo facienda, quam secunda, & sic de aliis.
- 12 Deni quo pædo vario modo operetur miracula.
- 13 Miraculorum sapientum genus quodnam sit.
- 14 Secundus miraculorum gradus.
- 15 Tertia classis miraculorum.
- 16 Pofremus gradus miraculorum.
- 17 Miracula majora, & minoria esse possunt, & quomodo.
- 18 Nihil respicit Dei est miraculum.
- 19 Majus miraculum est, quod ab olente est miraculum, quam quod secundum quid.
- 20 Et in uno eodemque gradu unum miraculum est maius alio.

De variis miraculorum generibus.

Quæstio II.

VTea, quæ de miraculis tractamus, clariora evadant, nonnulla necesse habemus à Theologis munari. Miraculum ergo illi tripliciter dividunt, nimur in miraculum contra Naturam, supra Na-

turam, & præter Naturam, quod sequenti modo declarant, ut ex S. Thom. 2. sentent. diff. 18. quæst. 2. art. 3. referunt Medici, Rocca, & alii ex supra citatis, & Henric. Kornman. de mirac. mort. per. 1. in princ. Miraculum contra Naturam esse dicunt, quan- 2 do aliquid contra rei Naturam & inclinationem fit, ut est, corpus ex se in rapto seu Ecclæsi in sublimi attollit, ut plerique evenisse sanctis viris ipse vires, hominem totidem diebus jejunare, qui à Natura non habebat eam aptitudinem, ut tam diutino tempore posset abesse nutrimento permanere, super ergo Naturæ vires non secundum totum effectum, sed secundum modum. Biderman. in Agnistic. lib. 1. cap. 14. Iuxta prædicta ergo duplex erit miraculum, ut docet Martin. Delr. lib. 2. disquisit. Magic. quæst. 7. aliud enim est miraculum simpliciter, alterum secundum quid. Illud effectus est, præter & extra Natura creatæ vires simpliciter productus, hoc autem effectus, viribus Natura respondens, sed ejus vires exuperans respectu alij causarum conditionis, aut modi operandi, cum qua conditione, aut quo modo Natura talēm effectum producere non erat apta, vel dicamus, quod miraculum simpliciter effectus sit omnino supernaturalis, miraculum autem secundum quid, effectus quidam naturalis, non tamē ex disponiture, aut actione causarum Naturalium emanans, sed ex sola & absoluta Dei virtute, quæ omnia luculentius infra explicabimus, & variis exemplis illustrabimus.

Miraculum supra Naturam tunc esse dicitur, cum effectus productus à Natura produci non potest in eo, in quo fit, ut est, mortuo vitam prebere: nam potest quidem Natura vitam femini prolifico communicare, non autem mortuo; sic etiam potest Natura vitium restituere, non tamē ei, qui cœcus a nativitate fit, & organum habeat labefactatum, & minime reparabile.

Præter Naturam autem dicitur miraculum, cum 4 effectus productus est extra ordinem à Natura datum, ut quod quis subito, & incontinenti à morbo aliquo sanetur, nulla prævia humorum concoctione, ut focus Petri à febre ad Christi Domini nutrum; cum si naturaliter sanari debuisset, oportet per humorum alterationem ac concoctionem morbum superatumiri, ordinem quæ ipsa servat Natura in abigendis morbis, miraculum quoque est, quod focus ad ejusdem Christi Domini maledictionem illico aruerit, ut narratur Matt. o. 21. v. 20. non ordine à Natura dato, si arietieri debuisset, hoc paulatim & in tempore fieri oportuit, alteratio enim fit in tempore naturaliter, non in instanti.

Sed & hoc postremum miraculorum genus tripliciter idem Theologi subdividunt, ut apud citatos autores videre licet. primo enim miraculum aliquando dicitur præter Naturam ob excessum, & singulare facti modum, non enim quicquam miraculoso habuist, Ranas aliquot, aut aliquot animalcula Ægyptum infestare, aut aliquot coturnices in deferto Hebrais advolasse, aut aliquot ex primogenitis Ægyptiorum una nocte succubuisse, aut mannam tantisper de Cœlo cecidisse, omnia tamen hec maxime miraculoso fuerū ob excessum, ut diximus.

Secundum genus recipit obedientiam Naturæ ad divini nominis invocationem, ut quod Vrsi ad Prophetæ maledictionem devorarent pueros eidem Prophetæ illudentes. Reg. lib. 4. cap. 2.

Tertium genus est, quando quid generatim & 8 universum contingit, ut de Aqua Zelotypia exemplificant idem autores, de qua in veteri Testamento Num. cap. 5. sed adter quod quanquam haec ita recte distinguuntur, non est tamen quod unum idemque miraculum non possit simile in unoquoque prædictorum generum comprehendendi; ut est Mortuorum resurreccio, Montis de loco ad locum translationis; hi enim effectus sunt simili & contra & supra Naturam; & jam patet, omnibus miraculis id esse 9 commune, ut vel simpliciter, vel secundum quid supra vires Naturæ sint, ut diximus in hujus tituli principio.

Verum enimvero cum omnia miracula ex supra dictis ex Deo, aut ex ejus virtute sint, & inter se differant tantummodo ob diversum operandi modum

respectu caussarum naturalium, juxta quem unum dici potest magis alio, ego quatuor miraculorum classes confidero; & favet Iacob Biderman, in *Agenſis lib. 1. cap. 14.* nam haec diuīs multo magis conformis videtur nostro modo intelligendi, quam superior; videturque maximi facienda in confederatione & approbatione miraculorum, ad Sanctorum canonizationem deferventer; quia semper magis

11. to pluris astimanda miracula primæ classis, quam secundæ, & pluris secundæ, quam tertie, & sic deinceps: ita ut majorem fidem sanctitatis, magisque indubitatam facere possint quod nos duo miracula in primæ classis, quam quatuor secundæ, & majorem quatuor secundæ, quam duodecim tertie, & sic in reliquis; ratio est, quia in miraculis primæ classis nulla deceptio cadere potest, quia potest cadere in miraculis secundæ, & multo magis tertie, & omnium maxime quartæ.

12. Deus ergo vel operatur miracula nullis medianibus naturalibus causis, & operatur id, quod nequam per ipsas effici potest, vel operatur quod per eas effici potest, sed non operatur per ipsas; vel operatur quidem per ipsas, non tamen ad operationem dispositas, vel operatur per eas etiam dispositas non tamen de proximo ad agendum, sed sicut non eas invicem conjungendo, quae omnia exemplis manifestissima mox evident.

13. Primum ergo, ac supremum miraculorum gradum eorum dico, quæ absolute miracula dicuntur, & hac neque ulio caussarum Naturalium medium sunt, aut fieri possunt, sed immediate ex mera ac libera Dei virtute emanant. ut est, mortuorum resurrectio, montium de loco ad locum ex se translatio, solis retrocessio, aut ejusdem a suo motu cefatio. & hec quoque possunt distinguiri inter se, prout superior retulimus.

14. Secundus miraculorum gradus est eorum, que fieri quidem possunt mediabitibus causis naturalibus, & tamen alio caussandi modo ad Deo, & ab eius servis divina virtute sunt; ut repentina morborum curatio, & repetatus exemplum de locu Petri, qui profecto poterat fortasse curari a febre, quanquam magna esset & lethalis, & medicis auxiliis, immo & ab ipsa Naturæ sanari, tamen sanatur absque illis ad leu Christi Domini verbum, cum dicitur: Et imperaveri febi. Idem etiam in Paralytico, & in leprosis, & in aliis mille accidit, ut tam in Veteri, quam in Novo Testamento patet.

15. Tertia classis eorum miraculorum est, qua medis causis naturalibus in actu sunt, sed Deo ipsas naturales caussas alias ad eos effectus producentes nequam dispositas, disponentes & ordinante, vel earum virtutem adaugente, sufficientiamque illis cauſandi tribuente, ut curatio lepræ in Nahaman per Iordanis aquas, dulcoratio aquarum amarorum per lignum immisum, in nostræ salutis figuram, & alia his similia.

16. Pothenus miraculorum gradus eorum est, quæ per media naturalia sunt etiam disposita ad agendum, & ad talen effectum producentum, non tamen de proximo, unde neque illum effici producatur absque concurso divina voluntatis non tantum permisive, sed specialiter, & cum effectu ad eam caussarum applicationem concurrentis, ut de Leonibus devorantibus trahitios Samaritanos 4. Reg. cap. 17. Leones enim homines devorare maxime naturalis res est, & causa sunt Leones ad devorandum homines dispositæ, tamen ex speciali

Dei voluntate devorant Samaritanos illos, sic etiam serpentes in deserto contra Hebreos immisæ causa quidem naturalis ac disposita ad nocendum, & occidendum homines existebant, non tamen nocuerint, neque quenquam occidissent, nisi ipse Deus ad suæ Iustitiae rigorem demonstrandum eos in rebellis Iudeos immisisset, ut narratur *Narrat. cap. 21.*

Miracula igitur in hos quatuor ordines divisæ, majora, & minus dici possunt, non tamen respectu Dei, nihil enim ejus respectu est miraculum, ita *Ecclesiastic. cap. 39. vers. 25.* nihil est miraculum in conspicuus eis, & *Mar. 10. & Luc. 18.* omnia possibilia sunt apud Deum, cum ei nihil sit difficile juxta illud *Genes. cap. 18. vers. 14. & Jeremie cap. 32. vers. 27. & Mathe. 19. vers. 26.* Apud Deum autem omnia possibilia sunt, unde prudentissime Pindar, in *Pyth. od. 10.*

Atibi autem nihil in admiringando.

Videretur esse impossibile, si Dei exercitii fuerint.

Sed magis, & minus miraculum dicitur respectu Naturæ, quatenus in his operibus magis, aut minus ipsius Naturæ vires experantur, ut ex D. Thom. Roccâ ubi alias cap. 23. & seq. & alii supra citati, atque hac ratione conit, magis miraculum esse illud, quod absolute miraculum dicimus, quam quod secundum quid vocamus, & magis, quod in supremo, quam quod in infimo ordine collocandum est: nonnullum quippe est, magis miraculum esse mortuum suscitare, quam infirmum sanare, & magis miraculum esse, ignem de celo, quam pluviam evocare, quod horum utrumque magis Naturæ vires expererit. & magis item miraculum est Solem retrocedere ab occasu in ortum, ut Ezechiae testimoniū daretur in sua vita tutelam, quam eundem Solem ad Iosuam præcepit flare, ut subtilissime probat Galeott. Mart. de doctr. promisc. cap. 38. & sic de ceteris, immo in uno eodemque gradu miraculorum, potest unum esse magis alio, ut patet, nam magis miraculum est, mortuum suscitare, quam viam cœo nato restituere, sed haec ulterior exemplum non egent.

S V M M A R I V M.

1. *Effectus aliquis ut miraculi nomen habeat plures debet habere conditiones.*
2. *Prima conditio effectus miraculosi, ut appareat esse supra Naturæ vires.*
3. *Interdum per caussas naturales effectus fit, ex speciali tamen Dei voluntate.*
4. *Secunda conditio effectus miraculosi, ut fiat divina virtus.*
5. *Tertia conditio, ut accidat ex hominum merito, non ex verborum vi.*
6. *Quarta conditio effectus miraculosi, quod effectus patens fit.*
7. *Quinta conditio, ut sit ad Fidei corroborationem.*
8. *Sexta conditio, quod appareat in instanti.*
9. *Sepima conditio, quod fiat sine dolore.* *Contrarium*
10. *Oc̄lava conditio, quod sit opus perfectum.* *(ibid.)*

De conditionibus effectus miraculosi.

Q V A E S T I O I I I.

V effectus aliquis miraculi nomen mereatur, nonnullas habeat conditions necesse est,

Quæstio III.

De Miraculis.

201

quarum alia à Theologis, & Canonistis desiderantur, alia vero à Philosopher, ut Philosopher est, recessentur autem conditiones hujusmodi per Malvernium ubi alias dub. 3. à num. 38. ad 41. per Caffan. in *Catal. Glos. mund. par. 3. conf. 49.* Macard. concl. 262. à num. 25. ad seqq. Medic. de mirab. operib. Dei lib. 1. quest. 22. per totam. Martin. Delr. disquisit. magis. lib. 2. quest. 7. August. Barbos. de off. & poteſt. Epis. alleg. 97. num. 8. par. 3. Roccam. de Canon. Sanct. cap. 19. & per alios eodem tractati. sunt autem quæ sequuntur: Prima, ut appareat, cum effectum esse supra Naturæ vires; jam enim in definitione patet, esse de miraculis ipsius essentia, ut experet vires Naturæ: non enim dici potest miraculum, quod per naturales caussas sit, & eo ipso modo, quo succedit per eas fieri potest. sed animum ad id advertendum, quod erit superiori quæstione monimus, evenire nempe, ut effectus aliquis per naturales caussas fiat, ex Dei tamen speciali voluntate, ipsas caussas ad agendum aut nullo modo, aut non de proximo dispositas, disponentis. Valles. de sacr. Philos. c. 35. ut in curatione lepræ Nahaman lib. 4. Reg. cap. 5. per aquas Iordanis: in quo miraculo Deus dispergit ipsas Iordanis aquas, tribuens illis facultatem, quam antea minime habebant, mundandi nempe à lepra. & in hoc consistit miraculum; mundatio enim lepræ posthac per eadē aquas naturalis res est; sunt enim & aliae aquæ nonnullæ (in quarum numero ad præsens, & post illud miraculum recenter ipsa aqua Iordanis) quæ virtutem habent mundandi lepram, ut de ipso Iordanis testatur Bacc. lib. 3. de Therm. cap. 3. rubr. de balneis ad cuius mōrbis. Ad hoc autem multo magis confirmandum ac demonstrandum, non confidere in eo causa miraculorum ipsa lepræ curatione & mundatione, sed in attributione virtutis, quam non habebant, ipsi aquis Iordanis, nota in facro textu, mandatum fuisse Nahaman à Prophetā, ut sepius lavaret se in Iordanis, non autem semel, ut scis fuisse ad miraculi efficientiam, qui postquam Deus Optimus Maximus eam virtutem Iordanis quis impetravit est, ut à lepra mundarentur, naturali jam via & agendi modo. Nahaman curari debuit, nempe per alterationem, mundificationem, & corroborationem membrorum; quæ omnia non unica vice, aut temporis momento naturaliter perfici poterant, sed tempore, & repetitis vicibus, ut in ceteris naturalibus balneis uluventur. Fuit ergo supra Naturæ vires, quod aquæ Iordanis alias ex sua Naturæ nullam talem virtutem habentes, illico ex Dei virtute ad Prophetæ petitionem, eam facultatem induerent, quam etiam posthac servarunt, ut dixi; sed ipsa lepræ mundatio in Nahaman effectus naturalis fuit, à Naturali causa naturali via ac modo produtus. Ad ergo, quod dicit Bart. de Test. num. 57. nimurum non esse miraculum id, quod fieri potest per caussas naturales, dicendum videtur, quod non sit simpliciter intelligendum, sed si fieri quidem possit non quomodoconque, sed eo modo, quo fit; ut si ante aqua Iordanis virtutem illam à Naturæ habuissent, jam nullum in eo casu miraculum esset, non enim naturaliter fieri posset, ut aquæ illæ in continentia eam virtutem induerent, & fortasse etiam ad præsens non tam cito alios quoconque à lepra mundarentur, ut Nahaman mundatus est.

4. Secunda conditio est, quod fiat divina virtus, non ex arte Diabolica, aut aliter: Demones enim, & eorum sequaces mira quædam faciunt, ut Magi

Pharaonis, Martin. de Arles de superstitione num. 93. quæ tamen miracula non sunt, quia vel non sunt vera, sed apparentia tantum, & vocantur proprie præstigia, & illusiones, eo quod Demones nobis illudant, oculosque ita perstringant, ut ea que non sunt, neque esse per ipsos possunt, realiter esse apparere nostris sensibus faciant, vel si vera quidem sunt, non virtute divina, sed Naturali sunt, neque ipsius Naturæ vim pertransirent, à nobis tamen miracula judicantur, quia talia vel nunquam, vel de raro videmus, aut earum caussas necimus: quod & Thom. Ernst. disputat. contra Paracelsum par. 1. bene explicabat. possunt enim Demones miracula quadam facere, nunquam tamen Naturæ vires exsuperare, ut exempli causa posset quidem Daemon aliquem morbum celriter, & quasi subito curare, non tamen alter, quam per media naturalia, quæ ipsi notissima sunt, sic Vrbs Roma longa pelle affecta adventu & sculapii à peste vindicata est, ut narrat Lactantius de Orig. Err. cap. 8. & sic nobis id quidem miraculum videtur, cum tamen naturalis res fuerit, cessante peste ob subitam caussarum amotionem. Eodem quoque pacto cetera permulta miracula ab historicis enarrata, ut à Tito Livio, Valentio Maximo, & aliis, & relata ab eodem Lactantio ibidem, nunquam vires Naturæ prætergressa sunt, aut saltu apparentia, non autem vera fuerunt. Quotiescumque ergo constaret reale, ac verum aliquem effectum neque ab homine, neque à Demone, neque à Naturæ fieri posuisse, illico probatum remaneret, illum fuisse miraculofum; neque enim miraculofum quid probari evidenter potest, quam probando non posuisse esse naturale, atque hac ratione ea omnia miracula, quæ talia simpliciter dicuntur, ut Resurreccio mortui, vera Proprietatis, & his similia, pro miraculis illico se produnt, quia & Demoni, & Naturæ vim omnem exuperant, unde inanis ac superflua est omnis probatio in his, quæ ex se ipsi miraculosa apparent, non sic autem infirmorum sanations, & alia his non dissimilia.

Tertia conditio est, quod effectus non accidat ex vi verborum, sed ex hominum merito. hanc conditionem Theologi desiderant, quia constat in sacramenta. Missæ sacrificio ex verborum vi per sacerdotem prolatorum, panem, & vinum in corpus, & sanguinem verum ac realem Christi transsubstantiari; sic etiam in aliis sacramentis ex verborum enunciatione, maxima ac supernaturalis virtus collatur; ut non ex hoc quis dici posset miracula esse, quia quantumvis malus esset sacerdos sacrificans, aut benedicens, tamen idem panis, & vinum eodem modo transsubstantiantur, & cetera sacramenta eandem virtutem communicant; non enim hoc ex hominum merito contingit, sed ex verborum vi, ut dixi; unde haec conditio videtur mihi magis respicere ipsum hominem facientem miracula, quam naturam effectus miraculofi, & ea de caussa ad Philosophum, quemadmodum neque alia ex his, nihil pertinet. Quod enim per verba quedam fieri possint alia miracula, preter ea quæ vel in Missæ sacrificio proferuntur, ad transsubstantiandum in corpus & sanguinem Christi Domini panem & vinum, in eo sacrificio oblatum, & alia quæ vim sortita sunt ab ipsa Ecclesia, vanum omnino est & ab omni veritate alienum; non modo enim per ullum verborum genus miraculum, quantumvis minimum, fieri non potest, sed neque ex eorum

- corum, energia ullus quantumvis minimus effectus naturalis produci. Sed de his aliis.
6. Quarta conditio est, quod effectus evidens sit, ac patens, non autem latens humanos sensus; exemplificatur autem circa hanc conditionem de eodem Eucharistiae sacramento; quia transubstantiatione panis & vini, in Christi corpus & sanguinem, non est patens & evidens ad sensum, sed per fidem, qui solumentum eam a se nobis licet, & non aliter. Ab hac conditione deficeret, stigmatum in continentis exempli gratia recedat morbus, licet remaneant consequentia morbi, puta fistulosis, debilitas, cicatrix, dolor, & famula, sufficit ad hoc, ut opus miraculosum dicatur, ita sentiente Rota in Relatione super processu Canonizationis B. Raimundi par. 2. art. 5. vers. Quod si quandoque non tollit itaque dolor interventione in aliquo morbi curatione vim miraculi, ut firmat Rota in Relatione super processu Canonizationis S. Caroli par. 3. mirac. 2. post mortem in fin. & in Relatione super processu Canonizationis S. Theresie art. 4. super 11. mirac post mortem, que testimonii referuntur ab eadem Rota in Relatione super processu Canonizationis B. Andrea Corsini par. 2. vers. Item quod Deus. Ac profecto etiam ipsi Philosophia satis fuerit ad miraculi efficiendum, ut opus non sit sua natura facibile, neque curabit ille ac cum dolore, vel aliter fiat.
7. Quinta conditio est, quod effectus apparent in continentis, aut multo citius quam à Natura fieri potuerit, & hoc habet locum in his tantum, quæ alias naturaliter fieri possunt. Malver. ubi alias dub. 3. num. 25. siquidem nonnulli, quod exempli gratia dictum volo, ab infirmitatibus etiam extremis, & undeque periculosis sanantur, Natura ipsa morbum luperante humorum concoctione, & aquamatione etiam citius, ac facilitiore modo ac via, quam sperari ab hominibus potuerit; ita tamen miraculose non sanantur, quia sanatio tempore contingit; sanationes autem miraculose nulla intermedio humorum concoctione sunt, sed in instanti, confeſſim, subito, statim: his enim vocibus ad ostendendam miraculorum evidentiam utitur Sacra Scriptura, præcipue vero in miraculis, quæ à Christo Domino patrata fuisse narrant Euangelista. Sed adverte, ut dixi, hanc instantaneam operationem non requiri in omnibus miraculis, sed in iis, que sunt à Natura facilius, & idcirco nihil omnino demis de miraculo, quod Eliseus non unica vice puerum à morte suscitaverit, sed tantum ubi sepe super illum sepe inclinaverit, & quod Christus Dominus non prima vice integrum vilum restituierit cœco, de quo Mat. cap. 8. vers. 23. & seqq. sed secundo manus super oculos ejus impofuerit; contra autem evenisset in sanatione coecitatis Tobia, multum enim de miraculo minuerit, repetitio per plures vices medicamentis ab Angelo Tobio commonstrati; quia forteles erat opus hoc per convenientem & iteratam ejus medicamentis applicationem naturaliter facibile, non vero unica vice.
9. Septimam conditionem afferat Malver. ubi supra num. 52. & Medicis ibidem, est autem, quod sunt sine dolore. Sed hæc, ut videtur, non est in omnibus miraculis perquirenda; immo fortasse in nullo: nam quid demeret de miraculo, si lapide Reum magno laborans ad aliquos servi Dei benedictionem illum cum consueto dolore per urinam ejiceret? aut si putrida febre laborans jam iam peritius, solo Iesu Christi nomine invocato, stomachi dolore illico apprehensus vomeret, & à febre, insimilque ab imminentे morte liberaretur? jam vero tale exemplum in Sacris habemus ab ipso Me-

dic. relatum Marc. cap. 9. vers. 25. de Dæmoniaco à Christo Domino liberato, de quo ille: Et exalatans, & multum discerpens eum, exit ab eo, & factus sicut mortuus, ita ut multi dicentes: Quia mortuus est. Et infra quæst. 8. sub. num. 11. miraculorum opus (quantum ego existimo) contemplari licet, doloris unius partis in aliam transmutati, ita agrotante Deum rogante per meritam Card. Bellarmino pia memorie. Itaque dummodo incontinenti exempli gratia recedat morbus, licet remaneant consequentia morbi, puta fistulosis, debilitas, cicatrix, dolor, & famula, sufficit ad hoc, ut opus miraculosum dicatur, ita sentiente Rota in Relatione super processu Canonizationis B. Raimundi par. 2. art. 5. vers. Quod si quandoque non tollit itaque dolor interventione in aliquo morbi curatione vim miraculi, ut firmat Rota in Relatione super processu Canonizationis S. Caroli par. 3. mirac. 2. post mortem in fin. & in Relatione super processu Canonizationis S. Theresie art. 4. super 11. mirac post mortem, que testimonii referuntur ab eadem Rota in Relatione super processu Canonizationis B. Andrea Corsini par. 2. vers. Item quod Deus. Ac profecto etiam ipsi Philosophia satis fuerit ad miraculi efficiendum, ut opus non sit sua natura facibile, neque curabit ille ac cum dolore, vel aliter fiat.

Octavam addamus conditionem omnium maxime necessariam, & est quod opus miraculosum sit undeque perfectum. Marc. Anton. Geuen. in prax. Archiep. Neap. cap. 59. Ricc. in prax. Episc. Refolut. 487. num. 7. & ex Medicis Fortun. Licet lib. 2. de his, qui diu sine alimento vivunt, cap. 172. in fin. nam mortuus suscitare, qui illuc remoratur imperfictum opus est, & apparere potest ex Dei virtute facibile, ut patet in histor. Ad. B. Petri Apot. de Simon. Mag. qui neque potuit mortuum omnino suscitare, neque allo modo, quia etiam si moveret, non erat vere suscitatus. Coencum quoque coecitate exire, qui mox in illam relabatur, miraculum non est, qui opus imperfectum, & sic de ceteris. Et hoc conditio videtur maxime desiderabilis in effectibus, quorum causæ sunt ignotæ, aut qui miraculosi sentent: nam vidi ego plures agrotantes aliquo morbo molesto ad praetinentiam, vel adventum, vel tacitum aliquum Religiosi, in quo maximam haberent fiduciam, vel etiam aliquarum Reliquiarum etiam ipsorum Sanctorum (nam neque per has Deas quodcumque nobis libet, & temper miracula operatur) sicut à morbo recolligisti, ac melius habuisti, mox ex eodem morbo deterioris molesto fusse, & aliquando etiam periisse, nimis quia ex contraria fiducia imaginantur, se iis mediis sanari posse, unde Natura bona spe duxa, morbo insulata, mox autem invalescere morbo, succumbit. Deus autem cum miracula operatur, omnino & undeque perfecta opera efficit, sed circa hanc miraculi conditionem, vide quæ dicimus quæst. 8. Vide autem, si libet, sex occasiones, ob quas miracula sunt, apud Card. lib. 15. de Varior. cap. 81. meritò querendum vi-

- S V M M A R I V M .
1. Absque conditionibus requisitis nullus effectus pro miraculo existimandus.
 2. Deus de raro nunc miracula operatur, & cur.
 3. Multa pro miraculis habentur, que non sunt. & causam vide num. 4. & 5.

- probandum, sed in hoc coercendam, aliam autem summopere viruperandam, & omnino explodendam. Prior causa pietas est in Deum, ejusque servos; confitancem enim videtur, & à pietate Christians minime abdicandum, quod quæcumque bona indies nobis eveniunt, Deo humano omnium bonorum dator accepta referantur; sic & quæcumque admirationem aliquam habentia eveniunt, quæ in ipsis Dei laudem & gloriam, in nostramque utilitatem & disciplinam redundare possunt, ab ipsomet Deo emanare credamus, licet hæc ipsa naturali via successisse, aut succedere posuisse existimemus: nam neque quicquam à secundariis provenit causis, quod à primaria non habeat exitum, ac maxime me hercle expetenda, ut dixi, ac collaudanda hac causa videtur, coercenda tamen ob rationem; de qua infra, hanc causam infinitus quoque videtur Poeta noster Torquatus Talius Cant. 2. st. 9. his carminibus, de sacræ Imaginis dispartitione loquens:

*Inculta fama è ancor, se ciò s' ascrina
Ad arte umana, od à miracul' opra;
Ben è picia, che la pietad, è'l zelo
Vman cedendo, auor s'è creda il Cielo.*

Ac bene quidem hæc lohabent, sed quemadmodum Deus Optimus Maximus nos omnes Sanctos vult pro Sanctis canonizari, hoc est nominationem pro Sanctis colti, & idcirco non omnes miraculis illustrat, & hoc multis ex causis, & præcipue in multitudine Sanctorum corundem cultus vilecat. Glos. in cap. unico de Reliq. & Veterat. Sanct. in 6. verbo Sedi. vers. Quinto ne in infinitum: sic quoque de miraculis celestibus est; & idcirco, ut dixi in principio hujus tituli, non licet absque auctoritate Ecclesiæ nova miracula publicare.

Sed quemadmodum hanc priorem causam, ut Christianum hominem decer, quantum ac qualiter requiritur, libenter & laudo, & amplector, sic inanem alia ex parte, futile, & insulsam quorundam sciolorum pietatem odio plurquam vatiniano & prosequendam censo, his enim impium ac nefarium videtur, miracula quæcumque insulsum ipsi somniaverint Naturæ, immo quasi otiosa videtur Naturæ, Deo ipso abolita sua potentia, non autem per has secundarias causas pleurae disponte, nihil enim omnino evenit, cuius causa à vulgo ignoretur, nihil quod rarum sit, nihil item, quod admirationem aliquam, quantulacunque sit, secum habeat, quod ab indecis, & rerum naturalium ignarus pro miraculo non predictetur, nullus ex aliquo morbo aut periculoso, aut alias molesto vindicatur, qui non ex miraculo id impetrare se affirmet; nullus ab aliis quibuscumque imminutibus periculis, aut molestantibus errumis extinxit, qui non miraculi favore ab illis se exemplum dicitur, tanquam si gratis Deus, & ad cuiusvis homuncionis natum ac petitionem Naturæ ordinem pervertat, ac non potius id ipsum, ut certa omnia, summa cum sapientia, & non nisi maximis aque urgentissimis ex causis peragat: nam profecto quando oportet propriam potentiam incredulis hominibus patescere, aut veritatem Christians firmiter stabilire, viderunt omnes opera Domini, & mirabilia ejus; nunc autem quando jam veritas notissima est, incautum tot miracula commouerat. Quid ergo quod tam facile homines miracula celebrant, & corum narrationem rapto-pere affectant? Ego ejus rei duplitem posse causam assignari existimo, unam quidem minime im-

*Ignorantia ergo posterior causæ est, ut, quo-
tiescumque aliquis effectus mirus, aut cuius causa latens sit, appareat, ad superiores causas homines*

confugiant, effectus illos pro miraculis judicantes; quod etiam extra Christianam Religionem & nunc accidit, & olim evenit, semperque in futurum eveniet, quod optime demonstravit Lucret. lib. 6, de rer. nat. his verbis:

*Cetera, que fieri in terris, Coeloque tuerunt
Mortales, pavidis cum pendent mentibz sepe
Efficiunt animos humiles formidine Divinum,
Depressisque premunt ad terram, properte quod
Ignorantia causarum conferre Deorum
Cogit ad imperium rei, & concedere regnum:
Quorum operas causas nulla ratione videare
Possunt, hoc fieri divini nomine ventur.*

Ex ignorantia ergo admiratio, & ex admiratione Deo tanquam miracula tribuntur ea, qua non fecerit ac cetera omnia Natura operante eveniunt, contra autem cognitione causarum, qua ex Philosophia habetur, admirationem tollit. Plutarch. in lib. de Amoris, off. De hac eadem causa loquebatur Hipp., auctor in lib. de morbo facio dicens: Homines vero ex imperitia, & admiratione, ei (nimis) morbo sacro) Naturam quamdam, & causam divinam inesse censerunt, quod nulla in eo reliquorum morborum similis esset, & praesertim inopia, quod morbum non cognoscunt, illi divinitatem afferunt. Hac Hippocrates, quod quidem etiam nostris temporibus eodem modo in aliis multis evenit; cum enim morbum curatu difficilem, aut accidentia rara, & alii morbi non confuta habentem offendimus, illico vel ad Daemonia, vel ad ceteras metaphysicas causas eos referimus; ita ut plures eorum, qui Daemonicis existimantur, melancholicis sint, aut ex utero laborantes, ut alias dixi, ob symptomatum enim novitatem, ac raritatem tales existimantur; neque solum indoctos, & idiotas decipi aliquando contingit, sed etiam doctos viros. Id ipsum ergo in miraculis celebrans evenit. Verum quia ex Ignorantia nihil unquam boni emanare potest, cum ipsa per se mala sit, omnino abigenda est, & idcirco a doctis semper veritas expectanda, corumque iudicium in his maxime expetendum.

S V M M A R I V M .

- 1 Propheta quid. & num. seqq.
- 2 Prædictiones multæ sunt, que tamen propheticæ non sunt.
- 3 Ars, & Natura ex aliquorum sententia vim habent in futurorum prædictione.
- 4 Divinatio datur in rerum Natura.
- 5 Medicina habet partem divinatricem.
- 6 Medicina nihil certi prædictio, aut prædicere potest, sed tantum conjecturaliter.
- 7 Medicina non promittit certam prædictionem futurorum eventuum.
- 8 Medicina artis falsicia in prædicendo, unde sit.
- 9 Astronomia maxime ad Prophetie naturam accedit. Vide ibid.
- 10 Astrologia digna est, ut à scientiarum amatoribus intime cognoscatur.
- 11 Astrologia nihil quod futurum sit pro certo prædicere potest, sed omnia conjecturaliter.
- 12 Quibus modis naturaliter contingit Prophetia.
- 13 Melancholica temperaturæ maxima apta est ad divinationem.
- 14 Melancholici morbis detinentur, & prophetare, & aliena lingua non edocis loqui, & alia multa mirabilia facere traduntur. (Aristotele.)
- 15 Divinatio per somnia non temere est affirmenda ex

- 16 Moribundis divinare solent.
- 17 Herbe quædam, lapides, gemme, Aqua divinatio nem procurare creduntur.
- 18 Ex propheta dono non potest quis tanquam ex miraculo in somniorum visum redigi.
- 19 Propheta tum bonis, tum malis communis.
- 20 Propheta non est inter miracula, sed potius inter admirabilia reponenda. Contrarium num. seq. & num. 40.
- 21 Futurem prædictionem apud Veterum nonnullos à Naturam at alicui habitu, ut Deos ipsos in amenti voluerint.
- 22 Futurem prædictionem in vera sit, à Deo non emanans, per accidens vera est.
- 23 Certitudine futuri eventus in vera Prophetia requiritur.
- 24 Certitudine eventus in quibusunque divinationibus desideratur.
- 25 Futurem prædictionem in vera sit, à Deo non emanans, per accidens vera est.
- 26 Certitudine futuri eventus in vera Prophetia requiritur.
- 27 Certitudine eventus in quibusunque divinationibus desideratur.
- 28 Causa interdum prædicta, quæratione vere fuisse predicta, ab exitu contingit.
- 29 Melancholia maxime confort ad prudentiam.
- 30 Prædictione quecumq; à Melancholici facile, casu fit.
- 31 Prophetantes, & divinantes non intelligent quicquam certum, que prophetant, aut divinant.
- 32 Non omnes, qui Melancholici morbus tentantur, divinare solent.
- 33 Prædictionis futurorum est perfectior, & sapientior intellectus. & num. 37.
- 34 Somnia, que à copia, & qualitate humorum procedunt, habent aliquam significacionem.
- 35 Cardanus vanitatis notatus.
- 36 Somnia quæcumque vana sunt quoad futuri prædictionem.
- 37 Non omnes, qui somniant divinare dicuntur, sed eorum pauci.
- 38 Anima in moribundis minus recte suas functiones exercere potest ob instrumentorum defectum.
- 39 Ex Demonio ministerio an possint futura certo prædicti, aut cognoscendi.
- 40 Demon subil agere potest, quod Natura vires exspectat.
- 41 Demons opera non nisi ea, que aliquam connexionem habent cum rebus praeteritis, aut presentibus, possint prævidere.
- 42 Prophetate non potest Damon.
- 43 Demon contingentia futura ignorat, probabiliter tamen conjecturata.
- 44 De hominibus non posse, nisi Demonis opera, futura dividare, quomodo accipendunt.
- 45 Hippocrates ex Physiognomia malos, aut bonos mores denotat.
- 46 Ex mala aut bona facie, bonitatem aut malitiam deprehendimus.
- 47 Deformitas corporis malam mentem arguit.
- 48 Deformitas artis malam mentem arguit.
- 49 Deformitas artis malam mentem arguit.
- 50 Deformitas artis impedit ordinum susceptionem.
- 51 Vbi torquendi plures Re sint ad elicendam veritatem in paritate indicitorum, ab incipienti Indice, qui pejorem habet effigiem.
- 52 Praefigito ex Physiognomia nullam habet certitudinem.

De Prophetia, seu rerum futurorum prædictione, occultarumque cognitione.

Q V A S T I O V .

Sed quemadmodum, ut ex superiori quæstione pater, ob alteram ex commemoratis causis multi

multi multos effectus mere naturales miraculosos judicant, cum non sint, sic è contra perversas quidam Philosophi, & impia temeritate insigiles, multa, que vere & absolute miracula sint, ad effectus & causas naturales reducere conantur, Natura opera tribuentes, que solius Dei virtute fieri possunt, sic & non alteri miracula opera in fidei nostra, & Catholicæ veritatis testimonium ac confirmationem emanantur diminuere tentantes, insimulque eius fundamenta concutere volentes. Itaque ad horum temeritatem coercendam operæ præstrium esse duxi, ad quedam particularia descendere, demonstrando quod Natura nullo modo esse posse, sed semper supernaturalem ac divinam virtutem require, & in consequens vere & absolute miracula esse; præcipue autem ea talia fuisse, que tam in veteri, quam in nova Sacra Historia enarrantur, hinc etiam apparebit, quanam proprie miracula sint, ob quorum vim & apparentiam, quantum ex ipsis est, possit quis in Sanctorum catalogum recipi, quanam insufficientia sint, & de quibus non sit curandum, quod Natura vires non pertransierint.

Ac primo loco de Prophetia & divinatione sermonem habeamus, de qua qui multa scire desiderat, legat praeceteris Delruis *disquisit. mag. lib. 4.* & *Torreblanc. in Epit. delrii. lib. 1. & ex nostris Card. lib. 14. de variet. cap. 48.* Peucerum de omni divinitate generi. dicitur autem Prophetia, divina inspiratio rerum à nobis procul distantiam, eventua immobili veritate, & maxima cum certitudine prænocens, atque denuncians. Mart. Delri. *disquisit. mag. lib. 4. cap. 1. quest. 1.* vel brevius cum Caffiodoro, ex quo repetit Medicis cit. lib. 1. quest. 21. & Torreblanca in Epit. delrii. lib. 1. c. 1. n. 54. est inspiratio vel revelationis divina, rerum eventus immobili veritate denuncians. Ego hic Prophetia nomen tantisper latius accipio, ac magis Philosophice, nempe prout intelligimus. Prophetiam est certae futurorum prædictionem, ex infallibili præcognitione emanantem, ostendere enim hi patrum sum, hanc certam, & infallibile futurorum prædictionem nullo modo posse à Natura profici, quemadmodum neque certas occultarum rerum cognitiones. Prædictiones enim multæ quidem sunt, aut fieri dicuntur, que nequam Prophetiam nomine dignandæ sunt, nisi id per nominis abusum fiat, quia nullam habent prædictorum eventuum certitudinem, ut Prophetia habere debet. Videndum autem quoniam scilicet extendant cetera predictions omnes, & quantum, & quatenus futura annunciare valeant, ut apparcat dehinc, Prophetiam semper effectum esse miraculosum, & ex Inspiratione divina, & causa supernaturali, numquam autem ex naturali emanantem.

Praesupponunt igitur hominum plerique, tam Artem quam Naturam in futurorum prædictionem vinbare. Et ante omnia dari in ipsa rerum natura divinationem, communis homini confessu, & infinitis pæne experimentis probant, & universaliter, ut Ciceronis verbis utar in *princ. lib. 1. de divinatione.* Gentem quidem nullam videmus, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem, atque barbaram, quæ non significari futura, & à quibusdam intelligi, prædicere posse censeat. Sed hoc, ut dixi, simpliciter ex ipsa Natura vi interdum, alias vero ex arte contingere posse existimatum est. Primo autem artes, que id ex proposito, ac præcipue promittunt, ut earum quædam præteream, quæ ad admiratione dignæ, quales neque equidem prædicti, neque quemquam, qui prædicteret, audiri, vide Liber IV.